

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



Ja.

PARAPHRASIS PSAL/
morum, II. & CXXXIII.

SCRIPTA AD

ILLVSTREM ET MAGNI
FICVM HEROA AC DOMI
num, Dominum Georgium Sternbergium,
liberum Baroem in viridi monte, S. C.
Majestatis consiliarium, & serenissimi Archiducis
Austriæ &c. Ferdinandi, Camerarium,
Dominum elementem,

A
Georgio Carolide Prageno.

Lectori S. D.

prima quidem pietas, post rerum suscipi amator
Tingere Pieris hæc, pie lector, aquis.
Tu, pietas quid sit, cum abses, & quid amator,
Vt fas, ista pio suscipies animo.
Vt potuit scripsit, tibi sit pia grata voluntas,
Atq; hæc si mala sunt, da meliora. Vale.

M. Martinus Galli
Czernowicensis.

Typis Danielis Sedesani.

ILLVSTRI ET GENEROSO DO-
mino, Domino Georgio à Sternbergk, &c. Sacrae
Caesariae Maiestatis consiliario, &c. pacem à
Deo & hominibus precatur,

PAuca fero, vili vestitaq; carmina palla,
Indigna te tanto viro
Qui genus à priscis atavis, & nomina stellis
Caelo, trahis, fulgentibus,
Sed pia: lesæi vatis sacro eruta campo
Pulchrisq; lecta flosculis.
Tu placidus teneros, ò Heros inclyte, foetus
Favore comproba tuo,
Et tabescentes macie, recreato Camœnas,
Et quod petemus, non nega.



Georgius Caroli
des Tragenus.



1597 KK 69
AKC. 16/6

PSALMVS II. Quare fremuerunt gentes, &c.

Quis furor, aut rabies, aut quæ dementia gentes
Exagitat trepidas? quid tanto vana tumultu
Plebs furit, & vano meditatur inania corde?
Quid Reges, terræ Domini, coïere frementes
Consilia & Christo, Christiq; aduersa peruncto
Spirantes Regi, & mavortia bella moventes?
Nunc iuvat illorum dirumpere vincula (dicunt)
Nunc servile iugum, nunc libertate potiri.

At pater omnipotens summi regnator Olympi
Sedibus è superis ausus ridebit inanes,
Tollentesq; minas, & sibila colla tumentes
Deiciet, cunctisq; dabit ludibria terris.
Tum iusta, exiliens, ira irritatus eorum
Tales flammato iactabit gutture voces:
Hunc equidem, in sacra regnaret ut arce Sionis
Constitui Regem, ut totum mea iussa per orbem
Spargeret, aurato diademate tempora cinctus.
Nunc edicta lovæ memorabo immota tonantis
Quæ statuit pater ipse, ad me dum talibus infit:
Tu meus es Gnatus, quem lux hodierna, futuram
Lucem orbi genuit, me quidvis posce, negare
Nil tibi nostra manus poterit, voto omnia cedent:
Te gentes hæredem omnes Dominumq; vocabunt,
Imperium orbis erit, caritura potentia fine,
Ferrea sceptrâ geres, ut ceu vas fictile possis
Frangere & oppositos, & debellare superbos.
Nunc tandem Reges, vestris qui legibus orbem
Subiicitis, meliore animo sapiatis, & omnes

A η

Discus

Discutite errorum nebulas, celebrate trementes
Et colitote Deum subjecta mente potentem:
Quin etiam Gnatum demissum, amplexibus, orbī
Excipiunto suis, læti exceptumq; fovento:
Correptus subito ne fors aliquando furore
Vos premeret, iustaq; injustos perderet ira.
Felices nimium, quorum spes omnis in ipso
Fixa lætet, per eum certam latura salutem.

PSALMVS CXXXIII. Eccequam bonum, &c.

DVicius fratrum nihil est amore
Nil mutuā concordā:
Balsami sudor neq; conferendus
Nec tanto ad æquandus bono,
(Verticem quamvis capitis sacraum
Aronis, & barbam, & sinus,
Imbre ceu fuso tenui, perungat
Mirāq; decoret gratia:)
Vber Hermonem neq; ros virentem
Sionis & iuga irrigans.
Ergo quos concors animus sodales
Amore junxit mutuo
Sentiunt lovæ benedictionem
Et liberalem dexteram.
In signe domus Sternbergicæ, **STELLA.**
Cœlestesq; globos, cœlestiaq; astra notabant
Prisci domus Sternbergicæ illustres viri:
Hinc illis Reges testem pro stemmate stellam
Dedere suæ eruditionis auream.

Stel

Stella mica patriæ, repetes post fata priores
Quas cœclum habet sedes, regitq; Iupiter.

CLARISSIMO VI-
RO, NOBILITATE, DOCTRINA,
PRVDENTIAQVE PRÆSTANTI D.
Ioanni Benedicto de Tulipan, Philosophiæ & Medis-
cinæ Doctori, Dn. patrono suo Georgius Cas-
rolides S. P. D.

IGnotum meritis quod fueris tuis
Vir, prosecutus, optime,
Grati signa animi nunc mihi promere
Visum est, tibiq; ostendere.
Nostra ergo placidus pellege carmina
Tuo dicata nomini.
Nunc hæc: plura feram dum melior meis
Fortuna velis affluat. Vale.

MALVM MEDICVM

Planus iners, Chiron medica clarissimus arte
Curat anhelantem, dispar uterq; senem,
Interea Planum, Chiron jubet illico mali
Pharmaca de medici carne parare, rudem,
Planus ut arripuit missam legitq; tabellam,
Coniicit in celeres terga supina pedes,
Scilicet ambigui nescivit nominis usum,
Ex malo. medicum se ratus esse malum,
Sic sese indicio terra ignorantia prodit,
Sic etiam sceleris conscia corda pavent.

Lin

LINGVA.

Nobile lingua bonum, si tempeſtiva loquatur :

Tempus at ignorans nobile lingua malum.

QUATVOR INVITANT AD PROPRIA.

Quatuor invitant homines ut propria curent,

Rari ſodales, temporis diverſitas,

Vxor, quæ proprio fida & dilecta marito eſt,

Ornata ſplendidis domus palatijs.

QUATVOR OCCIDVNT ANTE Tempus.

Pulchra uxor, ſervi nequam, ſine lege modoq;

Menſa, venenatis infectus flatibus æer,

Ante diem faciunt miſeræ ſuccumbere morti.

Ex Idillio, XXIX. Theocriti.

Eſt roſa pulchra, tamen tabeſcit tempore parvo,

Et pulchræ violæ veniente æſtate ſeneſcunt.

Alba inſperato marceſcunt lilia caſu.

Candida nix etiam liqueſcit, liquefacta gelatur.

Et formæ pulchra eſt puerilis gratia : verum

Non diuturna manet, rapitur velut umbra lub auras.

Idillio XVI.

Maxima de Muſis cultori gloria ſurgit.

Idillio XVII.

Ab Iove principium, ſinem in Iove ponite Muſæ,

Ex Arato.

Ab Iove ſumantur cunctarum exordia rerum,

Indictum nunquam nomen Iovis eſto, tonantis

Omnia plena Iovis, terræ, tumida æquora, cœli.

Hoc ſine nil fauſtum geritur mortalibus, ejus

Nuncq; ſumus genus, & de numine ducta propago.

Vitæ

Vitæ Mors Parens.

Humanam Chriſti peperit mors ſanguine vitam,

Quæ vehit ad rutili nos ſacra regna poli.

In elatos.

Cur Deus occulit rationis dona ſuperbis :

Ne feriant cœli cornibus aſtra ſuis.

Summa Gloria Agnitio Chriſti.

Non auro, gemmis, Tyrio aut ſplendescere in Oſtro

Gloria, non magnum corporis eſſe bonis :

Gloria ſed Dominum ſumma eſt agnoſcere Chriſtū,

Quæq; tulit patrio dogmata ſacra ſinu.

Iuſtitia ſerva Pietatis.

Iuſtitia eſt ſacræ cuſtos pietatis : & omnes

Limite virtutes continet æqua ſuo.

Zoilo.

Peſtiferum veluti lethalis aranea ſemper,

Mella licet ſugat Gnoſſia, virus habet :

Carmina ſic quamvis ſint optima, Zoilus aſper

Quæ legit, illi aliquid vix probitatis olent.

Omnia mordacis corrodit cuſpide linguæ,

Plena tenebroſæ noctis & eſſe, refert.

Cur : quia caligant tetra ſua lumina fumo,

Talia neve audet, dum meliora nequit.

A noſtris igitur procul eſto Zoile ſcriptis,

Non damus hæc rapidis dilaceranda feris.

Simon Skala Gla
tovinus.

76

PARAPHRASIS

PSALMI LXIX. SAL.

VVM ME FAC DEVS: SCRIPTA

amoris & obseruantia ergò

ad

CLARISSIMVM VIRVM D. MATTHIAM

Gizbicky à Gizbicze, Ciuem Nouæ Urbis

Pragensis Patronum ac Mœcenatem

studiorum

à

Petro Pisceni à Granichfeld Praheno.



Pragæ, Excudebat Iohannes Schuman.

Anno 1591.



AD LECTOREM.

Si peruersa dolis factio te suis
 Oppugnat, tacitis consilijs fremit,
 Et præbet medicata
 Atro spicula toxico:
 Si pænæ, capitis quæ superent pilos,
 Omni ex parte premunt, si timor & minæ,
 Et lethalia passim
 Circum vulnera te fremunt:
 Vatis docta legens carmina Regij
 PETRVS sufficiet materiam nouam
 Monstrabitq; diserto
 Versu, quæ Deus approbat.
 Quò cantare queas dulcè loquacibus
 Neruis, & numeris lenè sonantibus,
 Grates, & pia vota,
 Æterno ætheris arbitro.
 Vt sic grata, dolo liber ab hostium,
 Semper lingua Deo carmina concinat,
 Et gaudentia corda
 Vero simplice gestiant.
 Vt sic interitu, deuoret impios
 Improuisa dies, illachrymabili:
 Sic virtute potentis
 Dextræ pectus abeant Dej.



Iohannes Iunior Gryllus
 à Grylloua Raconicenus scrib:

1997 KK 69
 AKC. 16/7

PARAPHRASIS PSALMI LXIX.

Saluum me fac Deus &c.

HEu quāto miserū cumulo præruptus aquæ mōs
 Insequitur, barathriq; niger me gurgite vertex
 Sorbet in abruptum, præsentemq; omine tristi
 Intentat mortem: DEVS ô qui sancta Sionis
 Tempa colis miseri clemens cape vota clientis:
 Ereptumq; malis, & vasto gurgite lethi
 Iactatam seruans animam, me reddito vitæ.
 Iam mea destituit, mœstis defessa querelis
 Ora sonus: raucoq; nihil nisi sibilus exit
 Guttore, & assiduus lassus vix vocibus hisco.
 Lumen vtrumq; sacri dum spectat culmina montis.
 Auxilium vnde pijs, vnde & solatia pressis
 Aduentare solent, nube ac caligine tetra
 Obtegitur, tenebrisq; acies suffunditur atris (crinum
 Namq; phalanx, quæ nunc torquet mea pectora,
 Exuperat numerum, capitis qui anfractibus orbem
 Constipant, longis & inumbrant tempora setis.
 Quin etiam, mala ceu gelidæ contagio pestis
 Quotidie numero atq; odijs immanibus hostes:
 Grassantur, sæuisq; meo bona parta labore
 Vnguibus eripiunt, ac si me præda clientis;
 Cælatumq; aurum ditasset fœnore largo.
 Sancte pater, venerande pater, tibi cognita vitæ
 Est pia norma meæ, mea nunquam crimina vultus
 Effugere tuos: nôsti namq; omnia solus

A ij

E superi

E superi regione poli quum cuncta tueris.
Effice ne fratrum subeat pudor ora meorum:
Néue cadant animis, mea dum liuentia sæuo
Membra dolore vident scelerato à milite trunco
Affigi, tua nam genitor, tua sancta voluntas
Me probra tot iussit duressq; subire labores.
Me chari fratres, & eadem é matre creati
Declinant, méq; á proprijs congressibus arcent,
Dira meo capiti dicunt conuitia gnati.
Et linguâ officium fingunt, sed pectore fraudem:
Imó etiã á charis, mihi quos sors prospera quódam
Concessit socios, Scytico velut aduena ab orbe
Negligor, abiectus nimium patiórq; repulsam.
Námq; prophana cohors, tua dū petulantibus ausis
Contemnit mandata, & sacram turpiter aram
Conspurgat fædo fundens conuitia rictu:
Tunc mea diffusis ardescere pectora flammis
Incipiunt, tunc ira coquit præcordia, sæuis
Ignibus, atq; inflant buccas: oculosq; tuendo
Acriter inflammat: dentemq; in dente fatigat.
Tunc etiam sæuos, quos in tua numina iactat,
Excipio morsus, opprobriáq; omnia mente
Non patiente fero: tua nam mihi gloria curæ est.
Si celebros sanctis jeiunia festa diebus,
Aut lacrymis mea labra rigo: si vota precésq;
Stratus humi, & tensis ambabus ad æthera palmis
Offero: me subito risu, probrisq; lacerant
Immeritum stolidis iacentes scommata linguis.

Si

Si caput, atq; humeros squallentibus induo saccis
Tristor, incomptis cinerem vel crinibus atrum
Inspingo, vani fio mox fabula vulgi.
Me quoq; turba frequens bipatentis ad ostia portæ
Vellicat, immundo quum demens sibilat ore.
Me crepat in ganeis plebs pota, meumq; luperci
Dispergunt læti circum ebria compita nomen.
Ast ego, te supplex vasti bone conditor orbis
In mea vota voco, dum tot discrimina mortis
Me circumveniunt: dum tot mea vita periculis
Fluctuat, & tristes subito mea pectora luctu
Afficiunt morbi, pietas te si qua paterni
Admonet officij, devoti aut si qua clientis
Cura precor, fer opem & nostris bonus annue votis.
Me quoq; de glauca luculenti gurgitis ulva
Erue, ne rabies tumidi fera marmoris ægrum
Obruat, aut medio rapidus voret æquore vortex.
Non faciem, pater alme tuam, vultusq; roganti
Auertas famulo, miseré est qui corpore toto
Discerptus, vitamq; extremam per omnia ducit:
Sed potius querulos quos fundit ad æthera planctus
Exaudi, clemens DEVS, & prona aure precatus.
Huc ades, hanc animam rigidi de facibus hostis
Eripe: ne miserum dictis proscindat amaris
Amplius: aut turpi ne rideat improbus ore:
Sed pudor illius faciem confundat, & atro
Concutiat pectus blasphemum, atq; ossa dolore.
Tu testis mihi probri, ignominiaq; superbæ

A iij

Semper

Semper eris: nam quæ patior tu cernis aperto
Lumine, ut insultus conculso vertice jactet,
Diducâtq; cavis immania hiatibus ora.

Me dolor urgebat, me tristis abyssus, & alti
Sæva procella maris: vastôq; in gurgite fluctus
Arreptum tenuit: sed tunc mihi nullus in arctis
Rebus amicus erat, mea cui jactura cadentes
Eliceret lacrimas: aut cui miseratio mentem
Tangeret afflictam, nostri ob tormenta doloris.
Quin ubi crudeli mea membra exhausta dolore
Torperent; premerétq; graves sitis arida fauces,
Illulit misero: poscenti pocula, acetum
Porrexit: potúq; sitim compefcuit atro.
Ergo illi victum faciant aconit, vicissim
Lufida terribilem; illi & grati copia musti
In fellem redeat; meritas pro crimine pænas
Vindice te, pater ut subeat? dirúmq; vicissim
Supplicium expendat: tetra caligine visum
Illi adimat nubes: auras ne quando salubres
Aspiciat; cælôq; æger potiatur amico.

Præterea deforme caput deformia gibbo
Brachia sint illi: sic putida membra trahendo,
Ludibrium ut cunctis fiat, risúsq; plateis.
Omne malum hunc subeat: furij vexetur & amplo
Morborum pelago, cuius fædissima nemo
Tecta colat, plorent viduatæ civibus urbes,
Quin etiam fundo miseré excidantur ab imo

Nam tua quos gravibus concussit dextera pænis
Afflixitq;

Afflixitq; modis miseris, non clade, malisq;
Edocti sapuère suis, quin horrida sumptis
Viribus arma cient: in me furialibus ausis
Incensî rapiuntur, & insultando frequenter
Nil intentatum scelerisq; doliq; relinquitur.

Ergo suum cumulet crimen, scelerisq; piacula
Mille addat, justas irati numinis iras
Experiat: & æternum de stirpe recila
Viventum hæc tabulis gens excludatur: ut inter
Electos nunquam veniat: sed turbine cæco
Sub pice flagrantes & adusto sulphure ripas
Decidat: & proprium stigio scelus eluat amne.

Me sed ab immensis oppressum fluctibus aure
Sancte parens, leni exaudi, vultúsq; roganti
Advertas gnato, inèq; alto è gurgite sævi
Æquoris eripias, raptúmq; ad sidera cœli
Eveh, te DEVS ut possim celebrare: tuúmq;
Æterna æternum cantare in secula nomen.

Gratius hoc tibi erit, quàm si cadat hostia taurus,
Qui cornu petat, & pedibus dispergat arenam.

Hæc ubi conspicient inopes, humilésq; supremi
Facta DEI: subito lætos ad sidera vultus
Tollentes tacito in gremio dulcissima carpent
Gaudia: namq; horum spes summo est fixa Tonanti.

Ille etenim tenues, & quos custodia sævi
Carceris inclusos ob sancti dogmata verbi
Detinet, excelsa miseros de rupe Sionis
Aspiciens dextram servili compede uinctis

Porriget

Porriger: hunc igitur celebrent dulci omnia laude
Quæcunq; axis habet, quæcunq; sub axe polorum
Præpetibus pendent pennis, atq; humida tranant
Nubila: quæcunq; in terris ac fornice mundi
Vitalem spirant auram: quæcunq; profundus
Horrida marmoreo fert monstra sub æquore pötus,
Namq; sacrosancti sublimia templa Sionis
Extruit ille, sibiq; extracta referuat & vibes
Fortis Iuda tuas renouat, firmo aggere muros
Circumdat: sterilesq; diu incultosq; vicissim
Purgat agros, recolant excultæ vt iugera terræ
Agricolæ: atq; tuo natum de semine germen
Floreat æternum, donec per tempora iusta
Excrefcens Domini prouentibus horrea lætis
Impleat, vt soboles longi quam temporis ætas
Proferet, his uti, victumq; haurire diurnum
Inde queat, gratésq; DEO pro munere tali
Soluens ætrno det vota, precésq; tonanti.

FINIS



PARAPHRASIS
PSALMI XXII. DEVS DEVS
MEVS, RESPICE &c. CAR-
mine Elegiaco expressa à
Iohanne Pavyza Colino.

AD LECTOREM.

Qui sacra nutanti modulantur carmina seclo,
Causa mouentur duplici:
Nempe DEVM ut celebrent, cœu priscis eruta libris
Dum scripta luce condunt,
Et patriæ profint, quod sit si commoda vitæ
Et grata utriq; scripserint.
Tale fuit studium nostro, nec inutile, vati
DEVM colenti & patriam:
Id, lector, gratis, studiose, amplectitor ulnis,
Ceptis fave recentibus.
Quod potuit, fecit: meliora urgentibus annis
Et plura vulgabit. Vale.

Georgius Carolides.

PRAGAE EXCVDEBAT DANIEL
Sedefanus.